DE MILIARI PUBLICE LEGEBAT IN PERVETUSTA ET CELEBERRIMA...

Jacobus Maruffa

DE

MILIARI

PUBLICE LEGEBAT

IN PERVETUSTA ET CELEBERRIMA PATAVINA UNIVERSITATE

AD MEDICAM LAUREAM

RITE ADIPISCENDAM

JACOBUS MARUFFA

E MONTE MALADI

VICETINUS



PATAVII

TYP. CRESCINI

1846

DE MILIARI

Miliaris morbum sistit febrilem, primarium, contagiosum, qui nomen habet a vesiculis, quae in summa cute sudoribus comitatae copiosis et foetidis erumpunt, varii saepe coloris, modo rubrae (miliaris rubra), modo perlarum colore non absimiles (miliaris crystallina) sero repletae limpido, aut sero purulento (miliaris lactea sive purulenta) saepissime discretae, rarius confluentes, milii granum magnitudine aemulantes.

Antiquissimus esse morbus a nonnullis miliaris creditur; nec desunt qui asserere ausi sint, nescio quibus suffulti argumentis, lepram in Pentateuco descriptam nonnisi miliarem fuisse morbum. Burserius Jo. Fantoni et Caroli Allionii vestigiis inhaerens Hippocrati et Aetio notum fuisse morbum sententiam tuetur, juxta illud: « Circa septimum, octavum et nonum diem aspredines quaedam miliaceae, culicum morsibus fere similes, quae tamen

non admodum pruriebant, in summa cute subnascebantur et ad judicationem usque perdurabant.» Galenum quoque, Avicennam et Petrum Salium hunc cognovisse morbum alii perhibent. Verum contraria prorsus recentissimorum prostat opinio. Hi enim veteres sulummodo omnia vidisse et recte vidisse atque perpendisse minime concedunt, ita ut eorum sententiis contradicere nefas esse non credant. Atqui istorum sane observationes numerosissimas (morbus enim totam fere peragrat Europen) ea quae nunc in honore est animi aequitate, caeterarumque scientiarum omnium collatis opibus, institutas aequiori ferendo judicio pares esse non dubitamus. Revera quid unquam allatus comprobat locus? Synonymiae omnes illae et loci qui referuntur ut miliarem innotuisse veteribus comprobetur, minime ad rem faciunt, eo quod quum exacte exanthematis formam depingunt, illiusmodi characteres afferunt et signa, quae cum miliari descriptum morbum confundere non sinunt: reipsa, ut unum tantum, quod affertur, revocem exemplum, de miliari agi quis credat, quum aegroti narrantur pustulas praeseferre in ulcera abeuntes: nonnullique, pudenda, manuumque et pedum extremitates, nec non oculos iisdem exesos ulceribus postquam amiserint, iterum reconvalescere? quandonam miliaris tanta praestitisse visa est? quod si nonnulla tantum referunt signa quae miliari quoque non impropria videntur, talia semper sunt quae aliis non minus conveniunt exanthematibus. Quam rem libentissime assero, preaeter supra jam exposita, ut nemo ex hoc quoque non viderit, ut veterum haereditariae addictissimus sapientiae, quantum neoterici in morborum cutis studio veteribus

praestent. Quod si miliaris adeo antiqua est, ut de Hippocrate, Aetio, Galeno, Avicenna caeterisque sileam, cur, ex quo lux illa in Italia affulsit, quae tenebras barbarorum incursibus inductas ab universa mox Europa dispulit, cur, inquam, ab illa aetate usque ad an. 1652, quo miliaris Lypsiam populariter affecit, nemo unquam morbum retulit, cujus non indubie facies cum miliari conferri posset, qnamvis tot tantique ubicumque floruerunt auctores? dum e contra numerosissimi huic morbo illustrando operam navarunt, ex quo Velsch Lypsiam depopulantem narravit miliarem, unde mox universum ferebatur in orbem? Sed redeamus ad rem.

Plerumque his ingruit morbus phaenomenis prodromis. Delassatio universalis cum inappetentia aliquando juncta, dedolatio artuum contundens, crampus: ineffabilis dysphoria, horripilationes caloris insoliti et fugacis sensui intercurrentes: somnus implacidus, vigiliae, insomnia inordinata et horroribus stipata: aliquando somnus supra morem protractus: torpor, gravedo vel dolor capitis: transitoriae spiritus oppressiones, quae suspiriis excipiuntur: aurium immurmuratio, rigores in spinae decursu, cordis palpitationes, deglutitio difficilis: aegri fastidiunt, vomituriunt: pulsus interea varii, in sudores proclivitas. Post aliquot dies corripitur aeger febri; frigore scilicet praegresso, calor succedit modo ardens modo mitis, prouti individuales conditiones in causa sunt, et morbi gradus. Aliquando novae se se addunt febres typum praeseferentes tertianum aut tertianum duplicem. Saepissime una cum febri dolor insurgit in thorace cum tussi, aut alibi, ita ut suspicionem injicere pos-

sit de locali partium inflammatione: qui dolores ex una in aliam vagari solent cavitatem: insimul sudores adducuntur consueto copiosiores odorem spirantes peculiarem acidum, absque ullo phaenomenorum levamine, nisi cum augmento quoque juncti: angor et dolor in epigastrio: sub his aeger male ominatur: lingua interea semper humida, plus minusve sordet cum marginibus et apice rubris: sitis plus minusve molestat. Cephalalgia aliquando tanta est ut de meningitide deponere videatur: dum interdum satis lenis et intermittens est: immo jure de miliari suspicabimur si cum modica cephalaea verba inconcinna facit aegrotus, dein splendent oculi sursum convoluti, obtutuque haerentes fixo. Praeterea myrmecismus in apicibus digitorum aut puncturae nec minus pruritus et puncturae passim per cutim: aliquando subsultus tendinum aut convulsivae succussiones. Pulsus frequentes et irregulares, valide pulsantibus carotidibus: sanguis elicitus alta plerumque coopertus crusta, aliquoties tamen resolutus. Dies vero qua efflorescent vesiculae omnio incerta; et si aliquando quarta die erumpunt, possunt quoque multo serius apparere, sicut videre contingit Burserio eruptionem trigesima quarta a morbi initio prodeuntem. Frequentissima vero dies a practicis notata undecima esse solet. Maculis incipit parvis, rubris, quae postmodo in vesiculas attolluntur milii magnitudinem aequantes: hae secus jugulum primo et supra claviculas, nec non summo in pectore et dorso apparere incipiunt, mox passim per universam cutim. Durationis efflorescentiae variat tempus pro morbi, aegri temperamenti, anni tempestatis, aliarumque circumstatiarum ra-

tione: mole increscunt, maturantur rumpunturque, siccantur, et demum in squamas magno pruritu resolvuntur. Quod si pro votis efflorescentia absolvitur, mox sensim omnia leniuntur phaenomena, sin vero imperfecta sit, nec omnis secesserit materies, tunc vesiculis prioribus exsiccatis, febris et symptomata recrudescunt, ad nova iterum eruptio contingit. Si morbi gravitas evolutionem vesicularum intercipit, vel tanta sit materiei miliaris se se efformantis copia, ut totam recipere eam cutis apta non sit, tum febris increscit, sudores deficiunt, delirium, tendinum subsultus, convulsiones in conspectum veniunt, faciei tumet cutis, oculi sanguine turgentes micant, donec mors scenam claudat. Si vero efflorescentia quacumque de causa extemplo evanescit, phaenomena tunc exsuscitantur illius organi propria, ad quod morbosus defertur processus: si sint pulmones, spiritus oppressio, si cerebrum, delirium, si spinalis medulla, convulsiones, si ventriculus, aut intestina sint, cardialgia, vomitus, diarrhoea: si de puerpera agatur, secretio lactis imminuitur vel plane cessat, sistuntur lochia, et venter meteorismo inflatur: quae omnia symptomata iterum ad cutim pulsis vesiculis e medio auferuntur. Obscurior et implicatio res est cum miliaris morbus aliorum morborum adspectu prodit, unde larvatus dicitur; interdum hysteriam, hypochondriasim, nunc febrim intermittentem, aut catarrhalem aut rheumaticam, inflammatoriam aut biliosam, aut gastricam simulat: nunc etiam pleuritidis, peripneumoniae, anginae, rheumatismi, arthritidis, apoplexiae, epileptici insultus, cholicae nephriticae, (sed modo memoratorum frequentius) signis apparet. Sed hic

observandum venit, quod morbus sub cujus adspectu miliaris obvelatur, semper habet aliquid quod illius legitimae naturae non est; praetera quod remedia quae alioquin aliquid boni aegro praestare solita sunt, suos effectus non edunt, et praeter consuetudinem parum vel nihil perficiunt; semperque quaedam phaenomena miliari propria in conspectu veniunt proximam eruptionem minitantia, uti sunt sudores profusi, continui, acidum spirantes, vel foetidi, pectoris oppressio, respiratio laboriosa, stupores artuum et crampi, et reliqua de quibus jam egimus.

Celeberrimi utrinque medici miliaris contagium impugnant vel tuentur; qua tamen re minime perterriti lucubrationem aliquam, quae liti dijudicandae citra illorum repugnantes opiniones conferre valeat, aggredimur; hoc tantum ab illorum discrepantia deducere fas esse arbitrantes, vim miliaris contagiosam, quam nos admittimus, minoris certe esse gradus quam compluribus in aliis morbis, e. g. in variolis, morbillo ecc.; nec minus medici attentissimam quaeri animadversionem ne in re tam subtili decernenda miliarem morbum cum eruptionibus tantum miliariformibus confundat. Allionii, Burserii, Tissot, Rayer, Bodei, Brerae, Penolazzi, Secondi, Beroaldi, Liberali, tot tantorumque aliorum medicorum nomina ut fere integrum absolvant numerum illorum qui de hoc morbo perctractarunt, contagium in miliari tuentur. Quorum praeter auctoritatem nos brevi sermone hoc idem defendere conabimur a diffusionis ratione ex una in aliam regionem, nec non ex una in aliam familiam, et demum ex ejusdem familiae uno in alium indivi-

duum, et postremo a periculis inoculationis ope institutis argumenta deducentes. Diffusio enim ab hac in limitropham semper regionem nonne contagium criminatur? reapse a Lypisa in caeteram Germaniam prius diffusa miliaris, abinde in Galliam, Helvetiam, Pedemontem et Longobardiam denique non interrupto itinere migravit. Si igitur contagium desideratur, cur non a Lypsia in aliam quamcumque dissitem regionem transilire debuisset morbus minimeque semper propinquam aggredi? Hunc autem migrandi modum non solum e regione in regionem, verum etiam e civitate in civitatem proximam constantissime servavisse penitiori instructi morbi historia asserere possumus. Ita e. g. a propinqua Mantua miliaris Veronam translata fuerat, ibique longo jam tempore grassabatur, dum Vicetiae penitus adhuc deerat, cuum anno 1817 mercator quidam Veronensis eo veniens ut suis prospiceret rebus, hoc morbo decubuit, cujus amici quum illum inviserent aegrotantem eadem correpti aegritudine primi in urbe exstiterunt, qui miliarem proderent. Nec aliter ex uno in caetera ejusdem familiae individua diffusum morbum ipse egomet pluries vidi ita, ut de contagii praesentia nulla mihi supersit dubitatio. Sic morbo correpto patrefamilias quodam, breve post tempus, uxor, quae prae caeteris illi administrabat, miliarem ab illo contraxit; subinde filia natu major quae assidue aegrotae adstabat matri, et denique ejusdem frater, amicus meus, qui propinquum incolebat cubiculum, quod cum decumbentis cubiculo portae ope communicabat. Innumeras istiusmodi historias propagationis modum declarantes in medium proferre possem, nisi

tot quoque apud auctores extarent, ut supervacaneum omittere munus facile mihi liceat. Ast lubet sequentia referre Allionii loca quae rem extra dubitationis aleam ponere mihi videntur: " constat itaque morbum qui Lypsiae primum adparuit ad proximas, remotas, nostrasque regiones longo annorum circuitu penetrasse, ii quibus frequentior erat cum morbum habentibus agendi familiaritas citius morbo prehensi „ et subinde " morbi vero contagiosa miasmata non ab aere simpliciter, sed ab iis qui in morbosa regione venenum contraxerunt, ad alia loca translatum fuisse „ autumat. Nonne hinc contagiosa miliaris eruetur natura, quum aliunde nulla solis, nulla aeris mulatio, cui adscribatur diffusio accuratissimis institutis observationibus, adduci possit? Quod si allata exempla contagii naturam nondum satis explanare quibusdam apta videri possint, insitionis effectus indubie hoc praestabunt. Haec enim pluribus experta medicis morbi transfusionem saepe saepius attulit; quod si non semper hanc inducere valuit, hoc de certissimis quoque contagiis ut variolae et syphilis sunt, evenire neminem latet. Sequentia vero facta insitionem firmissime demonstrare reor. " Nobilis matrona, ut narrat Allionius, filiae suae hoc morbo detentae diligentissime assistens, et frictiones ipsa exercens retulit pustulas miliares in manibus et brachio sine incommodo efflorescentes. Talis efflorescentia quum aliquandiu perdurasset et ea improviso evanuisset, simili morbo paullo post laboravit „. Simili modo mater quaedam narratur, quae quum oculo lacrymanti detergendo linteolo uteretur quo filiae miliari detentae fron-

tem sudoribus madidum abstergebat, eruptionem retulit miliarem eadem ingena. Item medicus quidam qui miliari decumbenti adstabat aegroto, subito ad alium succurrendum aegrum advocatus, quum properanter eo adcurisset et venae sectionem in brachio instituisset, quin manus prius lavisset, aeger saluti restitutus post octo tamen dies eruptionem miliarem passus est circa vulnus. Denique ad probandum contagium sit illud quod cautis circumspectisque in aegris contractandis difficilius semper morbus irrepsisse visus est.

Quaeritur nunc postremo an miliaris primarius et essentialis sit morbus, an eruptionem constituat secundariam, atque utrum symptomatica sit vel critica. Complures medici miliarem credunt esse morbum per se, alii modo essentialem modo secundarium, alii denique criticum semper. Celeberrimus Burserius semper primariam considerat miliarem, quin tamen negare ausus sit aliquando, etsi raro, exanthemata miliaria secundaria esse posse. Nonnulli etiam inter neotericos miliarem nunquam solum esse aegrotantis affectum perhibent, sed semper aliis, ut peripneumoniae, gastro-meningitidi, febribus gastricis etc. aliisque nubere solitam: verum hisce in casibus vel miliaris in causa est affectionum praefatos morbos simulantium; aut si hae revera adsint, et miliaris in scenam veniat, non hanc tanquam epigenomenon, verum tamquam novum morbum priori additum aestimandam nos esse arbitramur. Et reapse simulantur hujusmodi affectiones a reactione, quam miliaris incongruum humanae fibrae principium exsuscitare valet, ut etiam confirmat Burserius: « in his enim casibus mate-

ria sive fomes miliaris hanc vel illam partem priusquam ad cutim feratur invadit, ibique defixus eorum locorum morbos imitatur ». Mehercle veras non esse tunc inflammationes subdolus semper et a more alienus symptomatum decursus patefacit. Quod si verae habendae sunt phlogoses, quomodonam subito e medio auferuntur, erumpente vix ad cutim miliari? numquid phlogoses medio in cursu intercipi possunt, aut sola miliaris hic praestare valet? aut interceptae et penitus ablatae quomodo iterum extemplo exardescunt, retropulsa vix eruptione? numquid phlogosium loco perturbationes potius a materia miliari inductae haberi non merebunt? Verum istarum remissio perturbationum comparente efflorescentia nonnullorum ad mentem in argumentum redit, cur miliaris critica habenda sit. Ast, cur non exinde contrarium deduci potest? quid praeterea conceptu facilius quam irritativas illas turbas dispulsa materie quae illas inducebat cessare? Nonne hoc etiam in variolis et in scarlatina videre est, quae non dissimilem observat morem? Quod si critica miliaris esset, cur illam saepe prudens veretur medicus, qui potius exoptare deberet? Cadaverum autopsiae saepe saepius organorum phlogoses patefacere potuerunt, etsi ante mortem miliaris eruptio non defuisset: quod manifeste declarat minime criticam fuisse miliarem, verum additum illis novum morbum. Nec mirum si aliis addatur morbis miliaris, quum male affectum jam organismum facilius contagium recipere, minusque reagere aut subigere illud valere veri simillimum sit. Quod si illorum crisis esset morborum Miliaris, cur non semper iidem morbi eamdem ostendunt

crisim? Quae res si vera esset, raro magis deludi viderentur prognoses medicorum, qui cum miliarem secundariam vel criticam phlogosim esse credant, hanc his praesentibus portendere futuram non dubitant, qui postmodo illam frustra saepe saepius aegrorum per colla, pes armos quaeritant et fere venantur, ludicrum adstantibus et fere dicerem aegris ipsis. Cur denique tantum ab anno 1652 istiusmodi morborum tales crises contingere coeperunt?

Quoad prognosim incertissima haec semper exstat practicorum omnium ad mentem, qui una omnes infidum morbum maximeque fallacem criminantur. Omnium instar sit Burserius qui ait. « Ego equidem non novi fortasse morbum isto fallaciorem ac magis infidum, ita ut, quando si mihi curandus est, nunquam minus securum, nunquam magis sollicitum me sentiam; quod facile sibi persuadebit qui pluries eos laborantibus operam suam adhibuerit, aut ejus historiam attenti praelegerit, consideraveritque ». Tamen juxta symptomatum intensitatem et numerum; juxta organorum numerum et dignitatem in quae morbus impetum facit, et juxta demum apparitionis ritum nonnulla suspicari satis probabiliter licet. Quum morbi ingressus adeo levis est ut aeger virium summam non amiserit, quum febris mitis est, respiratio satis libera, quietus et productus somnus, alvinae excretiones prope normales, vix percipiendae nervorum turbae et cerebrales, eruptio pro votis contingat, cum symptomatum levamine, sudor in universo corpore aequabilis, et stadia mutuo sese excipiunt, absque rerum perturbatione, laetam emittere prognosim medicus

non dubitet. Mali vero ominis erunt, deliria, convulsiones, tendinum subsultus, urina pallida et aquosa ex citrina facta. Urina lactea aut longi futuri morbi, aut in mortem cedentis omen semper erit. Pulsus serratus et conditus, languores et lipothymia, et irregularis eruptio, quae facile evanescit, sudor viscidus usque ab initio, mortis timor ab aegro ipso proveniendae nisi comparente eruptione evanitus non minora minantur pericula. Aegri non minus constitutioni et temperamento respectus haberis debet in prognosi canenda. Miliaris generatim periculosior in cholericis evadit, in illis qui parum in sudores sunt proclives, aut cutanea afficiuntur labe, in nebulonibus, et in illis qui diuturnis moeroribus conficiuntur; dum e contra melius cedit in placidis, et temperatae constitutionis individuis, ut feminae sunt et adolescentuli. Nec non semper magni pensitet medicus aegris praesagia, etenim aliquando febris subdole mitis conterit latenter ejus vires atque absumit, ita ut ipse tantum morbi gravitati aestimandae par morosus dies noctesque peragat tristis rerum augur.

Quamvis miliaris a specifico procedat principio varia tamen exstabit cura prouti constitutio aegri et temperamentum, nec non circumstantiarum cohors, quae morbi evolutioni influunt, postulare videntur: et quamvis huc usque temporis nondum remedia quae aut corrigendo aut penitus expungendo specifico illo et materiali principio hujus morbi fomiti apta detecta fuerint, ac nonnullorum practicorum sententia curam tantum debellandis affectibus ab illo inductis dirigi debeat, nihilominus nunquam a mente excidat causam ipsam exter-

nandi adminicula in usum trahere, ut inde internis quoque turbis opes ferantur. Mitioribus in casibus nonnisi diaeteticum moderamen requirit, additis tantum copiosis potubus et refrigerantibus. Si symptomatibus stipetur morbus phlogisticis, methodo utimur antiphtogistica; hinc venaesectio, mannatae potiones et tamarindatae cum liberalibus nitri dosibus, atque emetica, prout res postulare videbitur, usuveniunt. Quoad vero venaesectiones, hae a nonnullis ut supervacaneae, nec non noxiae reprobantur, dum ab aliis non modo utiles verum necessariae quoque indicantur. Ast revera si febris ingens atque ardens, pulsus magnus, validus, durus, color atque sitis urens, facies rubra, respiratio anxia, capitis dolor, temperamentum cholericum et sanguineum, habitus corporis, aetas florida, atque alia hujusmodi exstent, an non sanguis mitti debet? Immo iterum iterumque instituenda phlebotomia, donec symptomata persistant; tali pacto phaenomena exitialia quae in posterum venirent provide averti possunt. Quin etiam, Allionio judice, paullo liberalius sanguinem detrahendo peccare, quam omnino eidem parcere conducet. Nec id quod nonnulli formidant sanguinis detractiones eruptionem impedire aut vesicularum retropulsioni favere timor sit, quin immo contrarium potius existimari debet. Verum cum antiphlogistica methodus contra miliaris effectus tantum valeat, causa ipsa, quae illos inducit, nunquam obliviscenda erit, quam ab organismo pellere omni studio conabimur. Cui prospicientes scopo pro re nata frictiones Autenrieth, aut olii ope crotonis tilii, nec non

epithemata ex solutione tartari stibiati, urticatio, sinapismata, vesicantia in usum vocabimus, minime verentes, quod horum remediorum usu virulenti principii actio augeatur, quum istiusmodi remedia actionem exerant contrastimulantem. Nonnulli simul cum revellentibus remediis quoque interne adhibitis utuntur, ut exinde diaphoresis promoveatur, quae juxta morbi stadium atque aegrorum vires seligenda semper erunt. Cujus sunt census, antimonialia, camphora, extractum aconiti: flores sambuci cum liquore Mindereri etc., et quorumdam sententia pulveres quoque Dowеri et moschus. Quum autem supprimatur sudor, temperies evehatur cutanea, inquies et jactatio aegrum vexent, cum pulsu interea frequenti et irritato, glaciei indicatur usus tum externe adhibendae, nec non balnea frigida, dummodo aegri conditio haec sinat.

Quoad vero morbos qui miliari nubere solent, quique fere semper phlogistici sunt, iisdem adminiculis aggrediendi ac debellandi erunt, quibus miliaris si abesset uteremur. Hinc in internis adhibendis remediis praeter glacies, frigidasque potiones illa prudenter seligenda erunt, quae una cum antiphlogistica electivam quoque actionem in parte affecta exerunt. Demum nonnullorum medicorum discrimine plena practica me impellit ut ultimo nonnulla addam de servandorum aegrorum ritu. Ratio et praxis utilior sanxit periculis stipari magnis improbus ille mos detinendorum aegrorum in cubiculis queis nullus sit aeris accessus; et simul stragulis, ut sudor citatur, coacervandorum, quum ipsum in sinum nec

indusia unquam per totum morbi decursum mutandi. Necessario enim aegri infectum inspirare aerem, et continuo contagiosa ipsa principia jam prius emissa, iterum resorbere coguntur, quod quamplurimos aut in febres injecit typhosas, aut in morbum diuturnissimum, aut denique morte multavit. Hinc probe aerem et sudorem madentia stragula atque indusia festinanter renovare cura perpetua sit.

THESES DEFENDENDAE

I.

Miliaris semper primarius est morbus.

II.

In cura miliaris melius est nimis sanguinem detrahendo peccare, quam omnino eidem parcendo.

III.

Quum medicus ad aegrum primo accedit, prius nosomnesim quam biomnesim inquirat utilius.

IV.

Contagia proprio fruuntur vitae modo.

V.

Analysis chemica substantiarum animalium producta suppeditat, unde vero educta.

VI.

Cura physiologicis principiis innixa perniciosa tum et quando evadere potest.